

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 289

... nimis indiscretus qui tantarum possessionum stirpationes et alienationes uno superhabundanti convivio credidit compensari. Neque vero reprehendimus si abbates desiderent memoriam sui in aecclesia sua quam longissimam fieri, quoniam hoc et presentibus ad subsidium et futuris ad exemplum valet. Verum in toto rei publicae nostrae corpore recordatio per utilitatem parta veluti cultu aut vestitu quodam decoranda est, nec qui alibi aut fere ubique dampnosi sunt uno epulo tantas maculas diluere possunt. Nostrum est, ut ego quidem sentio, sic in monasteriis nostris vivere, sic congregata servare, sic dispersa congregare, ut posteri nostri memoriam nostram tam in oratorio quam in refectorio dignis benedictionibus concelebrent, ut obsequium non a nobis exactum sed a benivolis redditum Deo digne exhibeatur. Proinde communi et saniori fratum consilio utentes, predicti abbatis Popponis secundi anniversarium ita ordinavimus, ut in prima vespera fratres vini habeant per IIII sextarium, in ipsa vero die unum ferculum laucioris piscis, sed et XII pauperes ad elemosinam simili et aequali refectione quam habent fratres reficiantur. Cujus quidem abbatis salutem nichil temere judicantes, Dei misericordiae relinquimus. Quod vero omnibus evidens est, aecclesiae et nobis inextricabilem cum dampno laborem reliquit. Hoc vero quod de anniversario ejus a nobis ordinatum est, infirmarius sollicite procurabit, tota prescripti molendini utilitate ab obaidentia sua pertinente. Apud Sprimunt etiam de quadam parte decimationis aecclesiae ejusdem villae et dote altaris de qua, preter liberum mansum qui etiam in canonibus benedictus mansus vocatur, VI fere mansi sunt, de quibus mansis XX pene solidi solvuntur, plenos XX solidos infirmario sine defectu solvendos confirmavimus. De quibus quia prolixum est dicere qualiter prius obligati fuerint qualiterque ad nos racionabiliter et strenue revocati, hoc breviter dictum esse sufficiat, quod cellararius de aecclesia de Sprimunt XX deinceps solidos in festo sancti Martini infirmario persolvat. Et haec quidem ad infirmariam contulimus tam meliorando vetera quam addendo nova, ita deinceps intenti et parati ut, si quas possessiones Deo annuente recolligere vel alienas justis modis acquirere poterimus, eidem officio infirmorum fratrum quedam adhuc addamus, ut in eorum necessitatibus aliquid vel neglectum, vel tardatum nullo tempore inveniatur. Nec vero si prepositi aut cellararii debitam sui officii sollicitudinem circa infirmos non impleverint, propterea infirmarius negligendorum infirmorum occasionem habeat, et quotiens infirmi ex Dei gratia monasterio defuerint, aemolumentum obdientiae magis necessariis cenobii nostri defectibus fideliter coaptetur. Ceterum scientes quod in memoria aeterna erit justus ab auditione mala non timebit, nos nostram post hominem in anniversariis memoriam carta et atramento propagare supersedimus, Dei misericordiam ante omnia sperantes nostrisque posteris benivolentiae locum relinquentes. Acta sunt haec Stabulaus anno incarnationis Domini M° C° XL°, inductione II, ordinationis nostraec decimo, Cunrado II Romanorum rege, Alberone in Leodio presule. Et tam nostra quam omnium consacerdotum nostrorum qui tunc temporis X et VII nobiscum in monasterio erant anathemate confirmatum, ne prefatas possessiones cum suis ordinationibus turbare, immutare vel alienare ullus hominum sine communi fratrum consensu ullomodo presumat; quod si fecerit et ammonitus non cito correxerit, cum Iuda traditore Christi aeternae damnationis penas excipiat. Fiat, fiat. Amen.